



R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

21. In Festo S. Georgii, tripart. Labora sicut bonus miles Iesu Christi. 2.
Timoth. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56381)

2. An non grande miraculum, quod corpus Infantis huius in instanti formatum est, & anima illi infusa? Numquid natura ad formationem corporis ordinatè quadraginta aut circiter dierum spatium requirit, antequam infundatur anima embrioni? at nullum hic tempus requisitum fuit, sed in puncto temporis Infantis huius corpus formatum, & anima infusa fuit, & tamen voluit novem mensibus utero claudi, sicut alij infantes, ut cæteris se conformaret. O benignitatem!

3. An non grande miraculum, quod omni gratia & virtute anima Infantis statim fuerit ornata, quod quidem omnes alij in peccato concipiuntur? Efficis ontur de radice lesse, de Maria frutice, & mox super eum requiescit spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus, spiritus scientia & consilii. Vnde non solum Infans iste gratia est ornatus, sed & verè ratione & sapientia pollet jam ex utero, ita ut hoc sit novum, de quo Hieremias: *Novum creavit Dominus super terram, semina circumdabit virum.* Etate ergo & statura Infans concipitur, sed tamen à primo conceptionis instanti Vir est sapientia & ratione perfectissimus, Vir novus ex nova Matre, novo modo, nova generatione procreatus, qui omnia nova faciet, novum fœdas, novam legem, nova Sacramenta, novum Orbem.

4. An non grande miraculum, quod hæc anima Infantis à primo instanti beatifica visione donata sit, & non solum videat essentiam divinam, sed etiam in illa videat omnia præterita, præsentia, futura, omnem ordinationem Dei circa præsens sæculum, & circa æternitatem futuram, circa electos & reprobos, circa homines & Angelos? An non ei ex tunc notus fuit numerus electorum & reproborum, & ipsa Jud. en. dies, quandoquidem Iudex sit constitutus omnium.

5. Denique, nonne hoc fuit miraculum miraculorum, & fons cæterorum mirabilium, quod corpus eodem instanti temporis, & anima cum in Verbi persona copulantur, ita ut hæc tria fiant unum, Verbum, Anima, Caro, unione personali & ineffabili? Hoc miraculum nec suspicari potuit mens angelica, nec humana & ex illo innumera sequuntur miracula hominibus & Angelis incomprehensibilia. Hoc miraculum omnia alia antiqui temporis in se complectitur. Sed si vilis est tempore Iohes Sol stare, tempore Ezechia retrogredi; Ecce Sol æternus retrogreditur per novem Angelorum choros ad decimam usque lineam & gradum humanæ naturæ. Si vilis est Rubus illeus in igne: Ecce Rubus virginitatis sine læsione conservatur in hac Conceptione. Si vira est virga florens sine cultura: Ecce Virgo concipiens florem tanquam viga, & pariens sine humana opera: *Verbum abbreviatum fecit Dominus in medio universæ terra* in hac prodigiosa Conceptione & Incarnatione, in qua omnia mysteria legis, omnia miracula orbis consummationem acceperunt & perfectionem.

Hæc igitur omnia hoc festivo die cum læticia recoluntur, quando Annunciatio virginea celebratur. O Festum spiritualis gaudij plenissimum, à Deo in Angelum fluentis, ab Angelo in Virginem, à Virgine in nos, & in totum orbem, immò & in ipsum cœlum fluentis! O Felix Nazaret, ubi filios ille cœlestis oriri debebat, odore suo & splendore lætificans homines & Angelos! O beata domuncula tot mysterijs fœcunda! O beati parietes tot arcanorum consilij, beati lapides electi & constructi, ut inter hos mysterium amoris æterni, mysterium mysteriorum consummaretur ad salutem electorum omnium.

coluntur, quando Annunciatio virginea celebratur. O Festum spiritualis gaudij plenissimum, à Deo in Angelum fluentis, ab Angelo in Virginem, à Virgine in nos, & in totum orbem, immò & in ipsum cœlum fluentis! O Felix Nazaret, ubi filios ille cœlestis oriri debebat, odore suo & splendore lætificans homines & Angelos! O beata domuncula tot mysterijs fœcunda! O beati parietes tot arcanorum consilij, beati lapides electi & constructi, ut inter hos mysterium amoris æterni, mysterium mysteriorum consummaretur ad salutem electorum omnium.

Rogamus te, o gratia plena, & in mulieribus benedicta MARI A, per hanc angelicam salutationem, per lætitiæ responsum, per Filij tui admirabilem Conceptionem & Incarnationem, per obedientiam & humilitatem, per pietatem & charitatē à re hodierna die exhibitā, ut nos participes facias cœlestis gratia & lætitiæ, benedictionisque & salutis nobis per hanc Conceptionem & Incarnationem promissæ: ut Domino IESU Christo Filio tuo, in vero conscientia gaudij, in vera pietate & obedientia fervientes, te cum illo & per illum in sæcula benedicere valeamus, & beneficia nobis per illum exhibita grato jugiter animo agnoscere, ac misericordias ejus in æternum cantare in tua fœlicitate.

IN FESTO S. GEORGII.

2. Timoth. 2. *Labora sicut bonus miles IESU Christi &c.*

23 April. LXX. 21. tripart.

Honoramus Martyres festivitibus, divina sic ordinante Pietate per Ecclesiam Spontam suam. Quæ quidem divina Pietas, multiplex ad bonitatem, art. sex ad salutem, in horum trium phis multorum vult prospicere commodis. Attende igitur utilitates inde nobis promanantes.

PARS I. Martyrum, Christi fœlicitas cur celebrantur.

1. Deus eorum merita nostra vult esse suffragia; quæ nobis conciliamus, dom eorum solemniam cum pietate celebramus.

2. Afflictionem eorum instructionem efficit posterorum: docent enim per vitæ hujus contemptum, quantum Deo debeamus affectum. Eos variè voluit probare, ut nos posset ad patiendum pro amore suo eorum exemplo erudire.

3. Illuminant & confirmant fidem nostram. Quia de veritate fidei nostræ non possumus dubitare, quam tot Martyrum, quorum solemniam colimus, confirmatam videmus: pretioso cruore.

4. Spem quoque in nobis firmant immortalitatis & resurrectionis futuræ. Quia nunquam tam constanter expenderent vitam, nisi beatorum certissime expectarent. Nec corpus ita conereri permitterent, nisi in melius reparandi forent. Veneramur ergo in Sanctorum gloria fidem, spemque nostram: quia *Fides & Spes Martyrii Mater est*, inquit S. Ambrosius.

5. Dum Martyrum gesta recolimus, triumphatis Christi

Christi victorias celebramus. Ille enim in eis certabat ille superabat, qui fidei constantiam praebebat animo, ne supplicij cederet, & verba vitae labijs, ut infideles ad errorem perfidiae liberaret: Qui mortem semel vixit pro nobis, semper vincit in nobis, ait Cyprianus.

Hebr. 11.

Haec igitur sunt consideranda & ruminanda dum pie solemniter Martyrum peraguntur: Quae omnia insinuat & commemorat S. Paulus: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt re-promissiones. Alij autem distanti sunt, non suscipientes redemptionem, ut maiorem invenirent resurrectionem. Alij vero ludibria & verbera experti, insuper vincula & carceres lapidati sunt, scilicet sunt, tentati sunt, in occasione gladij mortui sunt. Quid ex his omnibus vult memorare Apostolus? Excitare nos vult ad horum remembrance & considerationem, ut sic animum ad imitationem. Haec est enim eius conclusio. Nos ergo tantam habemus nubem testium, deponentes omne pondus & circumstantias nos peccatum, per patientiam curvamus ad propositum nobis certamen. Equidem hi testes testimonio fidei probati, nobis animos fugerere possunt, dum in eorum certamina mentis obtutum conijcimus. Sed tamen in illis etiam Christum certantem intueri debemus: Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesu. Hic est qui cum servis suis pugnat, & dum illorum festa colimus, ejus trophea decantamus qui ipsis dixit: Consilite, ego vici mundum.

Heb. 12.

Est itaque Martyrium certamen praecleari Christianorum, qui illud suscipiunt, peculiari ratione Christi Milites nuncupantur, eiusque specialiter convenit illud Apostolicum monitum: Labor sicut bonus Miles Christi Iesu. Non coronatur nisi qui legitime certaverit. Et iustus: Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam. Haec nimirum est corona, hoc bravium, quod in hoc agone proponitur, & certantium imminet vertici. Hi sunt milites Gedeonis, quibus non hasta aut laurea, non gladius aut romphaea ad dmicandum tribuitur; sed tuba & ignis cum fictili lampade & lagenam, ut urbem insonando, & lagenam confringendo, inelament: Deo & Gedeoni. An non Christus Gedeon verus est, & Dux militiae per Antiquum illum & typicum Gedeonem designatus? Illi totam adscibunt victoriam Martyres, quam in nocte infidelitatis reportant de hostibus suis, verbi Dei clangore, corporumque suorum tamquam fictilium lagenarum collisione, fidei quoque luce & ardore. Sed non omnes ad hanc victoriam sunt apti. Debent esse milites fortes & inrepidi, animo infraeti & selecti: nam formidolosi, & qui aquis incubant huius saeculi, mepi sunt huius certamini. Ideo ex triginta duobus milibus non nisi deliguntur trecenti ceteris vel sponte recedentibus, vel ad aquas probatis immo reprobatis. De his militibus sic loquitur Rupertus in lib. Iud. Armati venerunt cum Duce suo ad praelium Martyres Domini, sed tubis, sed lampadibus, sed lagenis. Insonerunt tubis,

Joan. 16.

2. Tim. 2.

1. Tim. 6.

Iudic. 7.

Martyres milites Gedeonis id est Christi.

Ab. 1. c. 11.

dum praedicant; Confregere lagenas, dum corpora sua hostilibus solvenda gladijs in passione supponunt. Resplenderunt lampades, dum post solutionem corporum miraculis convalescunt. Haec Rupertus. Sic nimirum patuit quam verum sic illud: Nova bella elegit Iud. 5. sibi Dominus

Hic vero specialiter dicendum, nihil obflare militarem professionem, quo minus illi qui sub Imperatoribus terrae militant, etiam milites sint Christi Iesu, Imperatoris caeli. Militia haec temporibus varia parit portenta flagitiorum, ita ut dixerit quidam verillimè: Ordo militum nunc est, orationem lites Christiano tenere; nam cuius os pravorum verborum spurcitia polluitur, qui detestabilis iurat, qui minus Deum possunt timere, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non reveretur, isto hodie in caetu militum fortior est nominator reputatur, Qui de altari enses suos & vexilla recipiunt, ut contra inimicos crucis vires suas exerant, mox ubi militari tingulo decorantur, deserviunt in pavonionum Cruciferae, & in Christo Domini, Christi-que pauperes spoliant & depradantur, atque etiam marceus crapula, & immunditatis vitam transgentes, nomen & officium militiae debonestant. Haec utique Militum vitia sunt, non tamen militia esse dixerim, cum sine illis militia exercei valeat inculpaia. Certè olim magnus fuit numerus electorum Dei inter milites Christianos, qui sub infidelibus Imperatoribus militantes, usque ad sanguinem pro Christi fide certari parati fuerunt.

Celebres Matritius & Gereon cum suis legionibus, Celebris Sebastianus cum Marco & Marcellino fratribus, & multis alijs à se ad fidem conversis. Celebres & quadraginta Martyres, qui apud Caesaream Cappadociae sub Licinio Imperatore fortissimè pugnaverunt, quorum praeconium & trophaeum describit & decantat S. Basilus. Notum etiam est de sexdecim millibus militum, cruci pro fide Christi suffixis per Saporem Regem Persarum. Quod si Sanctorum gesta revolvas invenies & alios penè innumeros à militia saeculi ad militiam caeli per sanguinem transeuntes. Quod si ex facris litteris militum electorum vis exempla; attende in illis commendari quatuor Centuriones. Illum primum qui dixit se indignum ut Dominus sub teetum suum ingrederetur, qui postea vel solo sanie verbo De cuius fide ait Dominus: Non invenit tantam fidem in Israel. Illum secundum qui cruci affuit, & dixit: Verè filius Dei erat iste. Haec nomen erat Longinus, ac postmodum inelyto martyrio pro Te & v Crucifixi amore pugnavit. Illum tertium, quem Angelus apparet, ad S. Petrum defunavit plenius erudientem. Illum demique, qui Paulum liberavit à morte.

Verè hi celebres fuere Centuriones, Milites, Duces & Tribuni, maxime illi qui pro Christi causa sanguinem suum oppignorarunt. Inter hos quoque valde celebris est S. Georgius militum Tribunus & Martyr inclitus, qui fortitudinem suam saepe notam fecit in castris Diocletiani, sed longe postea

An militas longiorum simul lites Christi esse possunt. Pet. Ele-nator reputatur, Qui de altari enses suos & vexilla recipiunt, ut contra inimicos crucis vires suas exerant, mox ubi militari tingulo decorantur, deserviunt in pavonionum Cruciferae, & in Christo Domini, Christi-que pauperes spoliant & depradantur, atque etiam marceus crapula, & immunditatis vitam transgentes, nomen & officium militiae debonestant.

Milites Imperatorum etiam Christi.

Matth. 8.

Matth. 27.

Actor. 10.

Actor. 27.

postea notioem in castris Christi. Eius virtutem particularius describamus.

PARS II.
De virtute
S. militis
& Tri-
bunum
Georgii.

In primis, ubi vidit Diocletianum Imper. in Christianos suum effundere furorem, palam cruentis saeviendo edictis, statuit ei in faciem resistere, iniustitiaeque eum arguere ac fidem tueri Christianam, cuius cultor erat eximus, in ea ab infanzia educatus. Ut verò se ad certamen hoc expeditum magis, magisque idoneum redderet cum nobili prolapia oritundus facultatibus, pecunijs, vestibus abundaret, omnia in pauperes Christi erogavit. Sic nihil huius saeculi potuit eum impedire, quia & animo cuncta propter Christum contempsit, & factò à se ablegavit, illa Christo reddens, qui ea tribuit. Intellexit probè illud S. Gregorij hom. 32. in Evang. *Quicumque ad fidei agonem venimus, contra malignos spiritus luctamen sumimus. Nihil autem illi in hoc mundo proprium possident: audi ergo cum nudis luctari adestis. Nam si vestitus cum uno luctatur, ceteris ad terram deiciatur, quia habet unde enatur. Quid sunt terrena omnia, nisi quaedam corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abiciat, ne succumbat.*

Luc. 14.

Hoc fecit S. Georgius, ut invictus fieret pugil fidei, & perfectus discipulus Christi. Audiverat enim illud ex eius ore, & gerebat inscriptum corde: *Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Rursus non ignorabat monitum illud Adolescenti Evangelico insinuatum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus, veni, & sequere me.* Et ille quidem hoc audito abiit i. illis, trahens cor in terra, quod Dominus voluerat elevare ad caelestia. At fortior illo S. Georgius, voci interius idem inspiranti mox obtemperavit, ut liberitè, & perfectissimèque sequi posset Christum Ducem, omni abjecto onere cor deprimente, animum praegravante. Sciebat & illud à Sapiente dictum, eleemosynam securum esse potentissimum, & liberare à morte: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & haec pro te exorabit ab omni malo. Super securum potentis, & super lanceam, ad versus inimicum tuum pugnabit.* Iam ergo fremeute hoste ad praedium se accingens, voluit sese hoc potente scuto protegere & obumbrare atque lancea dextram obarmare, non ambigens de victoria. O nob.lem, & sapientem, o fortem animum in hac prima resolutione, dum omnibus sese exuit terrenis, ut caelestia arma capessat?

Eccli. 29.

Secundo vide progressum, & generosum in arenam campumque certam nis ingressum invicti militis. Poterat n. etid cum S. Paulo dicere, qui cum laudaretur, quod omnia sua in pauperes erogasset, sic loquitur epist. 2. *Facile nobis haec bona quasi palium exciderunt, & quae nobiscum non imuleramus in hunc mundum, nec ut eum à carne distinximus: sed in vespere à corpore deposuimus. Nunc opus est ut*

Progressus
certamini
S. Georgii.

qua verè nostra sunt deponamus Deo? haec est, cor & animam & corpora nostra exhibeamus in hostiam vivam. Quae enim nobis gratia, si in alieno fideles fuerimus, nisi etiam de proprio serviamus? Ut igitur cor & corpus languentemque in hostiam vivam offerre valeret Georgius, in medio leuatus in quo praefidebat Diocletianus (ubi edicta atrocissima confirmabantur in exterminium fidei Christiana) assurrexit, & iniustitiam impietatemque Tyranni disertis verbis acerrimè arguens & sapientissimè, tandem dixit propalam: *Christianus sum, & Christum Deum colo & odore. Omnes autem Divi vestri Damonia sunt, vel inania signa.* Dicamus hic cum Sancto Basilio trophaea Martyrum decantante homil. de 40. Martyribus. *O liberam linguam, quae sacram illam vocem emisit! Quam quidem aër excipiens sacer factus est. Angeli audientes plausuerunt, Damon cum suis magnam plagam accepit, Dominus postremo in caelo descripsit.*

Antea in castris militans inter infideles non erat agnitus S. Georgius ut Christianus, dissimulare poterat, quia tunc non urgebat fidei confessio. At ubi fidem vidit oppreffam dissimulare aut tacere crimen putat, ideo voce non solum oris, sed & voce cruoris, fidem illam asserere paratus est, quam corde tenebat. Noverat scriptum esse: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Et rursus: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in caelis est.* Est itaque confessio fidei necessaria Christiano, ubi id exposcit honor Dei, vel utilitas grandis proximi. Nec illa potest negari ore, quasi sufficit corde tenere: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in caelis est,* ait Dominus. Audi hac de re S. Chryl. st. hom. 25. Operis imperfecti, vel quisquis auctor est. Sic enim dixerat: *Qui ore negat, non potest fieri ut corde credat. Radix enim confessionis oris, est fides cordis, confessio est fructus fidei. Quamdiu autem radix est viva, necesse est ut ramos producat, folia, & fructus. Si nihil horum produxerit, intelligimus radicem esse mortuam. Eodem modo si fides cordis fructuum suum, id est, confessionem oris non producat, signum est eam aut mortuam, aut valde debilem esse.* Haec ille.

Haec attendens S. Georgius, nihil discrimen capitis, nihil imminens periculum mortis veritus, confessus est, confessionem bonam inexpectis. Noverat Senatusconsultum irrevocabile, noverat atrox edictum in Christianos pronunciatum, noverat in illos Tyranni crudele & implacabile odium. Haec tamen omnia nullam remoram animo eius invicto injuncit, quia audit Dominum dicentem: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timeate eum qui corpus & animam mittere potest in gehennam.* Itaque cum à proposito deterere per se & Senatores suos omni arte annulus est Diocletianus, primo quidem n. nis & feccitate, deinde promissis & lenitate Pios et atatis, cingulum militaris honoris, nobilitas generis propo-

ibid.

proponitur, dignitatisque incrementum cum imperiali favore promittitur, si Christus renunciant, imperii Deos agnoscat. E contra si renuat, romphaea & rota, equuleus & vorax flamma aliaque atrocissima tormenta ei donantur. Sed dum modo blandis illectat promissis, modo cruentis illectere minis eius animum conatur, hæc erat vox intrepida Martyris ad Tyrannum: Quid meritis nos demulcere studes, ut discedamus à Deo vivente? Putasne tantum te daturum, quantum eripere contendis? Tua res ipso dona quæ nocentem conciliant. Non accipio honorem unde nascitur ignominia. Deferam gloriam quæ perpetuo duret, jugiterque floreat: quid terrena polliceris tamquam magna, cum à nobis despiciatur mundus? Omnia quæ videri possunt, non sunt paria spei quam continè retineamus, nec gloria quam speramus. Illa velociter transeunt, hæc perennant. Honoris superbi cupidi sum: poenas gehennæ metuo. Ignem quem vos inrentatis non timeo, quia confertus est. Novit ipse veregi eos qui idola contemnant. Sagittas infantium vestras plagas existimamus, Corpus à vobis cæsum ed clariorem affequetur coronam, quod magis vobis reficit. Quid tardatis? Pro charitate & fide in Deum, in rota poni, cruci affigi, flammis uti, omnibusque torqueri modis paratus sum. Hæc nimirum erat vox libera illius qui suspirabat ad patriam illam celestem Jerusalem, quæ iussum est libera Mater nostra. Civitas Dei vivente, in qua jam miles conscriptus erat aureis litteris, sanguine in terra describendus notis.

Galat. 4.

PARS III. De multiplice supplicio & vitioria S. Georgij.

Ejus potè supplicia consideratione sunt digna, non solum quia atrocia, sed etiam quia multiplica. Nempe ingeniosa crudelitas, crudelisque ingeniositas, omnis generis exquirit & advenit supplicia ad Dei servos torquendum, ut eis possent fidem extorquere. Ad unius martyris corpus excrucicandum plura aderant supplicij instrumenta, quam membra. Sed stabant tori torquentibus fortiores, inexpugnabilemque fidem superare non potuit. Sæpiens diu plaga reposita, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servus Dei jam non membra, sed vulnera, inquit S. Cyprianus lib. 2. Epist. 6.

In carcere variè cruciatus.

Primò igitur in carcerem deductum Christi militem humi proferunt, catenis onerant, compedibus vinciunt, deinde ejus pectori lapidem ingentis ponderis imponunt, ut tota nocte sine oneratum corpus defatigeret, contunderetur, conteratur & sequenti die tribunali representandus aliam ipse mentem induat, fideique confessionem revocet. Verum abijt ut possit mutare, propositumque mutare, qui firmatus erat supra firmam petram, non supra labilem arenam. Tanquam abest, ut oppresso sic corpore opprimeretur fides vel animus, quin potius elevaretur & exaltaretur magis, magisque; ita ut possit dicere cum Plautus: In petra exaltavit

Psal. 25.

Tomus 11.

me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Etenim hoc pressus pondere gratias agebat rota nocte, & divinas decantabat laudes dicens: gratias tibi ago Domine Deus, quod dignus sim factus qui onus acciperem quod peccatori & cordi meo imponeretur, quodque mea in te confessionis stabilitate firmare debeat. Equidem nullo gravi nimis pondere potest prægravari, qui liber est ab illo onere de quo Propheta: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravata sunt super me. Nullo gravi nimis pondere potest succumbere, cui amor Dei vires suppeditat & in altum sublevat: Amor meus pondus meum, illic feror quocumque feror.

Angust.

In rotam actus.

Secundò, cum subsequenti die integer animo & corpore, & tormentis noctis nihil motus Tyranno præsentaretur, rotam, jubet prægrandem afferri, mucronibus undique præfixam, ut illi affixus totus dilaceretur. Pendebat in aere rota, inferiusque erant densa spicula gladii similia, partim rectas habentia culpides, partim aduncas hamorum instar, partim cultros coriaris imitantia. Cum igitur rota tabulis per gyrum appropinquaret, & Vir sanctus tamquam Agæus tenrioribus loris & funiculis ita constrictus, ut intra carnem absconditi hærerent, vincit esset; volente rotâ transire cogebatur per gladios, sicque eorum acutissima acie corpus dilaniabatur, & scorpium more contortum dissecabatur. O tormentum indicibile! Illud servus Christi oratione poterat constringere, sicut S. Catharina similem sibi paratam rotam mox vi orationis elisit & comminuit, sed maluit ostendere quanta sit virtus Christi collata servis ejus in similibus tormentis, qui postea in Rota æternitatis hostes servorum suorum circumvolvet in tartaro de penis in penas, de tormentis in tormenta, transire eos faciens, de aquis urvium ad calorem nimum, de supplicio uno in alterum, semper recrudescente dolore. Propterea de hostibus Dei dictum est: Pone eos ut rotam ante faciem venti, ut scilicet instar Rota (quæ quia circularis est figuræ non habet finem) à vento furente justitiæ divinæ de suppliciis in supplicia æternum circumducantur, & in sæcula sæculorum torqueantur. Huc quoque referri potest illud: Sagitta tua transeunt, vox tonitrui tui in rota. Quæ sunt sagittæ Domini transeunt, nisi afflictiones & poenæ hujus sæculi, quæ velut flagellum aut jaculum transiens citò finem accipiunt? Quæ est: Vox tonitrui in rota, nisi vox illa Domini, Discedite malefactorum in ignem æternum? Illa equidem instar tonitruum semper insonans, tantæ erit virtutis & efficacis, ut effectus ejus non sit transiens, sed instar tonitruum & venti perennantis reprobos circumvolat dissilimè in Rota æternitatis. Hæc rotâ jam volvitur & revolvitur impius Diocletianus per tonitruum ventum divini furoris, qui instantibus eum sanctis Martyribus, noluit audire vocem lenem divinæ inspirationis.

Rotam orando conquirit, sed noluit, & cur.

Job. 26.

Psal. 82.

Psal. 76.

Ex rota in foveam rotatoris



57
In
mittitur.

ratoris furore qui se sic vinci erubescerebat, Deosque suos confundi, in viva calcei foveam juberetur immittere, & in diem usque tertium ibidem teneri; ut carne plane exesa, etiam ossa defodere & in perpetuum posset Tyrannus abolere, ut nec Christianis ullum illius monumentum aut pignus de corpore sacro posset restare. Labens properabat S. Georgius ad hoc supplicium, sicut Daniel ad foveam Leonum, sicut Hicetias ad lacum & cenam, sicut Ionas ad cetum, sicut pueri tres ad fornacem & caminam Babylonium; nec dubitabat sibi adfuturum cœlitus auxilium, quo sicut illi, illatus intactusque educeretur. Fidebat promisso Domini: *Cum transieris per ignem flamma non nocet tibi; & odor ignis non erit in te.* Quapropter cum vinculus ad ejusmodi supplicium duceretur, divinum illud spectans promissum, cœlestique expectans auxilium, sic precabatur: *O Conservator & presidium afflictorum, & spes illorum de quibus nulla spes, exaudi preces servus tui Libera me ab insidiis adversarii, & concede usque in finem immutabilem confessionem nominis tui. Ne derelinquas me: ne quando dicam inimici: ubi est Deus ejus? ostende potentiam & illustra nomen tuum in me in oculis servus tuo. Mitte Angelum tuum mei custodem, qui in Babylone fornacem commutasti in voram, & sanctos pueros conservasti, quoniam benedictus es in secula. His dictis, se signo crucis muniens, in foveam est ingressus gaudens & laudans Deum, Eductus quoque est tercio die planè incolumis.*

Memoria
S. Georgij
in bene-
dictione
est.

Sic frustratus est tyrannus impio desiderio, quo peroptabat S. Viri memoriam omnem extinguere, sacrasque ejus exuvias penitus abolere, ne ei Christiani posteriori ævo honorem deferrent & cultum, etenim & memoria ejus vivit, ac in benedictione est, vivetque in secula seculorum, & quidem ita vivit, ut celebre sit ejus Martyrium per Ecclesias Orientis & occidentis; Græcique vocant per excellentiam, *Magnam Martyrem Georgium*, Reges quoque & Dnces in suis præliis eum specialiter invocant ut Protectorem, sicut & Ecclesia contra hostes fidei invocat eum ut Defensorem, cum Sebastiano & Mammio sanctissimis illustrissimisque Tribunis. Multa quoque Templà ac Oratoria toto orbe terrarum in ejus honorem sunt extructa, ubi specialis Patronus speciali festo colitur Sacræ quoque ejus Reliquiæ maximum sortitæ sunt honorem, nam S. Germanus Parisiensis Episcopus, Ecclesiæ mæx Patronus, è peregrinatione Hierosolymitana revertens, retulit Iustiniani Imperatoris dono brachium S. Georgij tanquam pretiosissimum thesaurum, deposuitque in templo S. Vincentij Parisijs. Alterum brachium Coloniam Agrippinam delatum fuit, multisque coruscant miraculis, Caput verò Roma ferat in Ecclesia ei dedicata, ubi per Zachariam Pontificem depositum fuit. Sic irritus cernitur conatus Tyranni, eas obscurare vel obliterare non valens, Deo ejus gloriam illustrare non solum in cœlis, sed in terris,

Ex his igitur elucescit, quàm vera fuerit vox illa cœlestis ei insonans: *Ne timeas Georgi tecum ego semper sum.* Fuit enim Deus cura eo, dum in carcere opprimitur vinculis, catenis, lapidisque ponderibus, & vires ei suggessit ad onus portandum, vel ponderi levitatem indidit ad militem suum sublevandum. Fuit cum eo, dum in rota acerbissimè dilaniatur; per Angelum enim eripuit eum ab hoc tormento, & consilium & quaqua verum corpus in integritatem restituit, & sanavit ita ut coram Tyranno, qui se victorem autumabat, rursus apparuerit incolumis, & impietatem acerbis ei expiorarit. Non enim solitus est Deus suos deferere ullis in tormentis, sed per Angelos consolari consuevit vel sanare, ut verum sit illud: *Cum ipse sum in tribulatione eripiam eum & glorificabo eum.* Similique fit ut ipsi possint fidenter dicere: *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Sic Angelum vidit S. Romanus extergentem plagas & vulnera S. Laurentio inflata. Sic & S. Sebastiano adfuit vir splendidus in carcere, ei oculum pacis impertiens, & dicens, *Semper mecum eris.* Sic & Angeli multos Martyres educunt non solum è flammis, sed etiam ex undis; Felices naufragi, qui ut de voragine pelagi ad stationem litoris reportentur, non terreni remigiis officio, sed cœlestis nuntij vehiculo trasportantur, inquit B. P. Damianus de S. Anthyimo, quem Tyrannus in mare deiecerat lapide prægrandi ad collum alligato. Sed frustra lapide mole gestavit, quem petra meritum levat. *Altera per vestras inaniter deprimit, quem sublimis potens sanctitatis virtus extollit.* Ab Angelo igitur ipse è periculo liber educus est è fluctibus, sicut & S. Nazarius cum Celo puer. Dicamus ergo generaliter unicuique cum S. Macario homil. 12. *Si quis fuerit Deum in profundo maris, illic reperies eum signa facientem, & Ionam conservantem. Si quæras in lacu, eum reperies in medio leonum conservantem justum Danielem. Si quæras in igne, illic reperies eum quem ferentem servus suis in Babylone. Si quæras in monte, illic reperies eum cum Elia & Moysè. Est ergo ubique nobiscum, nec patitur nos ullibi orphanos, sed adjuvor est in omnibus tribulationibus, hæc S. Macarius. Non ergo mireris, si S. Georgio in medijs tribulationibus vox insonuit: *Ne timeas, semper ero tecum.* Non mireris, si invictus permanerit, & intactus, sive in carcere, sive in rota, sive in calcei fovea, ita ut non potuerit per multiplicia adhuc alia tormenta ei vita adimi, nisi gladio, quem ei decreverat Deus pro agonis continuatione, & coronæ adeptione.*

Deus semper sum
per suum
cum S.
Georgio.

Deus cum
suis in
tormentis
est & eos
consolat
psal. 90.

Elucescit ulterius ex jam dictis, quomodo Martyr Georgius de Diabolo ac Tyranno fortiter triumphavit, quia defecerunt tormentis, non defecit promptus Martyris animus nec corona. Et hæc esse potest ratio cur depingatur interimens Diabonem, in vulgaribus picturis. Nec enim contra Diabonem pugnavit pro quadam filia Regis, aut pro civitatis libera-

S. Georgij
de diabolo
& tyran-
no
vulgari-
bus
libera-

liberatione, credendum est, quia id reprobari vide-
tur per Gelasium Pontificem, dum apocrypham
declarat historiam S. Georgii quae tunc circumfe-
rebatur. Non autem eam apocrypham iudicare
conferendus est, quam ex Simone Metaphraite par-
tim descriptam, in Orientali Ecclesia legitur
compendiosè. Quam Theologi graves approbant,
inter quos Aloysius Lippomanus Episcopus, Lau-
rentius Surius Scriptor Ecclesiasticus, & alii: ubi
nulla fit mentio de certamine illo populariter vul-
gato, quod illi fuisse dicitur cum Dracone.

Dicamus ergo Draconem Daemonem esse cum
quo illi praelium interfuit celebre toto tempore
martyrii; de quo & victoriam insignem retulit,
dum idola destruxit, in quibus colebatur. Hic est
ille Draco qui iuxta mulierem parturientem expe-
ctabat foetum eius, ut devoraret, videntique illum
sibi ereptum, emisit flumen post mulierem, ut ab-
sorberet eam. Haec mulier Stellis coronata, Sole
amicta, Lunae infidens, Ecclesiam in suis designat
primordiis, electionis partum caelo parturientem.
Quem ubi vidit diabolus se non posse deglutire, in
mulierem blasphemarum & maledictionum fla-
men emisit, quo eam absorbere conatus est. Id fe-
cit per os rartareum idololatrarum & haereticorum,
sed frustra nec irritum conatu. Hunc ergo Draco-
nem gladio verbi, scuto fidei, galea spei, lorica ius-
titiæ, armaturâ charitatis, panopliaque omni spi-
rituali cataphractus, devicit S. Georg. Quapropter
illi convenit illud: *Super aspidem & basiliscum am-
bulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Ipse
aspis est in obduratis Iudæis; ipse Basiliscus sibi-
lans in venenatis haereticis; ipse Leo & Draco in
Persecutoribus & Tyrannis idololatris. Sed ubi-
que devicit & conculcatus est per electos Milites,
Christi viribus dimicantes, inter quos effulgit S.

Georgius ipse confundit & pudescit hunc Draco-
nem superbe & inaniter gloriantem, quod in forti-
tudine sua extendat manum suam, & colligat ter-
minos orbis terræ velut ova derelicta in nido, no-
mine ei valente oblitescere. *Azamen formatus es ad
illusandum ei,* & sæpe cum non solum servis suis
validis, sed etiam ancillis imbellibus tradit Deus
ad illudendum & illusendum. Illusit certe & elisit
eum S. Georg. & quasi armilla perforans maxillam
eius, eduxit prædam & escam de faucibus; Multos
scilicet, quos iam deglutire parabat Draco iste ad fidem
convertit & Christo reddidit. Inter quos duo
Prætores Anatolius & Proteolus, cum suis fami-
liis conversi sunt ejus martyrio. Sic nunquam defi-
nunt oves Christi ad immolandum ductæ in me-
dio luporum agnos parere, ex hædis agnos gene-
rare, ex infidelibus fideles reddere. Sic granum fru-
menti, ubi mortuum fuerit, multum fructum af-
fert. Hoc fieri videmus in membris, quod factum fuit
in capite, inquit S. Gregor. l. 3. Dial. c. 31. *Unus mor-
tuus est ut multi viverent: & dum unum granum si-
neleter cecidit, ad obvinendam fidem seges animarum
multa surrexit.*

Dicamus ulterius; Draconem fuisse Diocletia-
num, Draconem, inquam, rufum, cruore Christia-
norum aspersum, jugiterque sumentem sanguinem
Martyrum. Ipse est qui conatus est, quasi Draco
ille Apocalypticus, tertiam partem stellarum, im-
mo stellas omnes, de caelo in terram detrudere cau-
da sua, maligno scilicet contra fidem Christi consilio
& furore. Ipse est Draco, qui *iratus est contra mulie-
rem stellis coronatam, sacrum foetum partientem, &
abitu facere praelium cum his qui sunt de semine ejus,
qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium
Iesu Christi.* Sed in vanum vires exersuit, quia ipsi
vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter
verbum testimonii sui & non dilexerunt animas suas
usque ad mortem. In horum ergo numero fuit S.
Georgius, cui ob victoriam quam tulit de Tyranno
per sanguinem Agni, & per sanguinem suum, rus-
sus postumus dicere: *Super aspidem & basiliscum
ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* E-
quidem nunc conculcat eum in flammis, & alligat
in mancis ferris, quia hoc est iudicium conferti-
ssimum gloria hac est omnibus Sanctis ejus. Fuit ergo
S. Georgius de illis militibus de quibus canit Pru-
dentius:

*Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis.
Proque ventosis Draconum, quos gerebant, pallis.
Præferunt insigne lignum, quod Draconem subvi-
dit.*

O felices hos Martyres, quos ad perenne cingu-
lum Christus vocat, dum sub ense persecutoris
ultrò collum præbent pro fide ejus! Hoc enim ge-
nus mortis decorum est, hoc probis dignum vitis,
quia sic & mors & hostis vincitur.

*Nobilis per vulnus amplum porta iustus panditur:
Lota mens in fonte rubro, sedis cordis exillis.*

IN diem festum S. Georgii incidit beata mors F.
Egidii socii S. Francisci. Hic S. Georgio pie affe-
ctus erat, quia vestem religionis in ejus festo acce-
perat. Vnde post 52. annos in eodem festo S. Geor-
gii obiit sanctissimè. Ejus animam vidit quidam
multis cinctam animabus, quas è purgatorio meri-
tis suis eduxerat, Christumque ei obviam venien-
tem cum amplexu. Dicere solebat S. Bonaventura,
à Deo ei datum efficaciter possit optulari his qui
ad salutem suam eum invocant, sequæ gratias age-
re Deo, quod in ea incideret tempora, quibus vi-
sum sanctissimum alloqui potuerit. Dixit quoque
Fratri in ægitudine: *Dic Perusinus, eos ob miracula
mea, vel canonizationem, nunquam pulsatos cam-
panam, nec eis aliud datum nisi signum nisi Iona Pre-
pheta.* Satagebant ipsi corpus viri sancti retinere
juxta Perusium mortui. Dum verò quærent ei
sepulturam, invenerunt marmoreum se-
pulchrum, in quo sculpta erat
Iona historia.

De histo-
ria S.
Georgii
quid an-
tiquum.

Apoc. 12.

Psal. 90.

Isai. 10.

Iob. 40.

Isai. 13.

Apoc. 12.

ibid.

Psal. 149.

Prud. l.

Peristephan.

Hymn.

Prud. ibi.

Appen-
dix

